

# PROTESTATIO

Nomine Universitatum Cracoviensis & alterius Zamoscensis, contra Collegium Leopoliense eorundem Patrum Soc: Jesu, super Attentatis, in spre-  
tum litiis pendentia & Mandatoru Sacrae Regiae Majestatis recenter  
commiffis.

Actum in Castro Inferiori Leopoliensi, Feriâ  
Quarta post Festum Sanctæ Luciae Virginis &  
Martyris proxima Annò Domini Millesimo  
Septingentesimo Sexagesimo Primo.

AD Officium, & Acta præsentia, Castrensia, Capitanealia, Leo-  
poliensia personaliter veniens Excellens & Admodum Re-  
verendus Magister Cantius Jankiewicz Philosophiæ Doctor &  
Professor Coloniae Academicæ Leopoliensis Rector, Studii Genera-  
lis Cracoviensis & Zamoscensis Plenipotens suo suorumq, Uni-  
versitatum Nomine in & contra Religiosos Patres Societatis JESU  
Rectorem, Praefectos & Promotores, Totumq, Collegium Eorum Leo-  
poliense Provinciae Minoris Poloniae reassumendo quascunq, Protestatio-  
nes anteriores coram quibusvis Actis in simili factas. Iterum  
Protestatus est super eo. Quia ipsi postposita Juris & justitiæ ra-  
tione, quod sub Litis pendentia attentare sit delictum non solū  
ob Jus & interesse Partis. Sed etiam ob spretam Judicis Majesta-  
tem, nihilominus Stante publica Remissione Causæ ex Integro  
ad Judicia Relationum Sacrae Regiae Majestatis & conservacione  
Termini occasione Privilegiorum, imò stantibus novis Adcita-  
tionibus, Mandatis & inhibitionibus de nihil attentando usq, ad  
Decisionem Causæ per ipsam Sacram Regiam Majestatem, quemad-  
modum à principio contemptis Omnib9 Remedijs Judicialibus  
Titulum Sibi Universitatis violenter usurpare & Secularibus U-  
niversitatibus Cracoviensi & Zamoscensi pacificam ac immemora-  
bilem Possessionē Juris doctorandi per Poloniam & Russiam clam

(1)

adi-

P-18-9-529

40-1081



adinere attentarunt, ita recenter per novos Actus Promotionis Philosophicæ Sub Die Septima Mensis Decembris Annò Currenti, ac Processionis in forma Sæculari Academica per Ecclesiam suam Celebratæ Sub Die Octava Eiusdem Mensis attentatos, Jura & Privilegia privata præfatis Universitatibus Cracoviensi & Zamo-scensi Servientia, tum sub tuitione Decreti Remissionis, emanatarumq; Inhibitionū Sacræ Regiæ Majestatis præsidio existentia Iidem Religiosi Patres denuo convellere Expeditionemq; ac Decisionem Remissæ Causæ non expectantes sese ex Decretis privati Collegii sui Academicos vocitari & per Typographos imprimi necnon Collegium suum Aulam Academicam & Universitatem intitulari, alios Doctores & Baccalaureos cum ipsimet non essent tales, creare, taliterq; Authoritatem publicarum Legum, & Judicii Supremi Sacræ Regiæ Majestatis Contemnere Ausi sunt, & præsumpserunt. Cum igitur Mandata, & Inhibitiones Sacræ Regiæ Majestatis nedū Patres Collitigantes. Verum Ipsos Judices inferiores ligant & arcant, ut Lite pendente ab Illis nihil in Præjudicium Partis, & contemptum Remediorum Juris innovetur. Cum deniq; ipsa Decreta Remissionum ex natura sua sunt suspensiva & irritantia inò de jure, & praxi contrarios Actus tacitè prohibent Religiosos tamen Patres Societatis JESU Collegii Leopoliensis ligare & arcere ab attentatis sua prohibitione & suspensione nequeunt Proinde suus Manifestans contra hujusmodi ausus, & actus per Religiosos Patres Societatis JESU attentatos Iterum atq; iterum quā Solennissimè Nomine quo supra Protestatur. Salva Eiusdem Protestationis melioratione, auctione vel diminutione etsi id opus fuerit pleno in robore reservata & præcustodita.

( L. S. )

Ex Actis Castr: Capit:  
Leopoliens: Extradit:  
Correxi GARBOWSKI

Lectum per Borzym,

# EX PARTE UNIVERSITATUM

*Cracoviensis & Zamoscensis contra Collegium Patrum Societatis Leopoliensis  
ad Judicia Relationum Sacrae Regiae Majestatis, ex Remissione Cause Oc-  
casionis Privilegiorum Mandati cum Inhibitione Relatio.*

Actum in Castro Inferiori Leopoliensi Feria Tertia post Festum  
Sancti Francisci Confessoris proxima Anno Domini 1761.

**A**D Officium, & Acta praesentia Castrensia Capitanealia Leo-  
polientia, personaliter veniens Ministerialis Regni Generalis  
Providus Antonius Wiszniowski Officii praesentis Apparitor, in vim  
suae verae ac fidelis Relationis palam publicè libereq; Recognovit se  
Mandato Infra scripti pro Judicijs Relationum Regni Varsoviensibus  
spectantis tenoris sequentis. *AUGUSTUS III. DEI Gratia Rex Polo-  
niae Magnus Dux Lithvaniae, Russiae Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Kijoviae,  
Volhyniae Podoliae, Podlachiae, Livoniae, Smolensciae, Severiae, Czerniecho-  
viae, necnon Haereditarius Dux Saxoniae & Princeps Elector.* Vobis Re-  
ligiosis Rectori, totiq; Collegio Soc: J. Leopoliensi, ac Integrae Pro-  
vinciae Eorundem Minoris Poloniae, si ad causam praesentem spectare  
videmini de causa Infra scripta Bonisq; Vestris generaliter omnib;,  
Mandamus ut coram Nobis Judiciisq; Nostro Relationum Nostrarum pro-  
prietarum Varsoviae, aut ubi tunc cum Curia nostra feliciter constituti  
fuerimus a positione praesentis Citationis Nostrae in sex Septimanis,  
seu futura immediatè Judicij Relationum Nostrarum Proprietarum Cadentia  
& Reassumptione, alias tunc dum & quando causa praesens ex Registro  
publico Judicialiter acclamata ad Judicandum inciderit personaliter  
ac legitimè, ac peremptoriè compareatis ad Instantiam Generosi, In-  
stigatoris Regni, Eiusq; Delatorum Venerabilium Rectorum Almae Uni-  
versitatis Cracoviensis & alterius Russiae Zamoscensis, suo & Uni-  
versitatum suarum Nomine agentium Actorum. Qui Vos inhærendo Juri-  
bus suis & Specialiter Decreto nostro ultimario Assessoriali Remissio-  
nis Totius Cause inter memoratas Universitates & Collegium Vestrum  
Scholasticum Leopoliense verentis ad Judicia Relationum Nostrarum  
proprietarum Citant, seu potius adducunt, ad videndum nimirum & au-  
diendum praelibatam causam in Statu & Terminis in quibus ad Judi-

cia Nostra Assessorialia ex Actoratibus Suis devoluta, & necdū ibi decisa extitit, recipi & expediendo Remissā approbationem illam prætenſi Privilegij Casimiriani pro erigenda Academia Leopoli, quod acsi per Decretū Nostrū Assessoriale in Causa occasione Fundationis Glovincianæ Annō 1758. ex Partium Controversiis prolatū, post Annos fere centū, absq; ulla executione derelictū, & per non usū amissū ac in suo Originali jādudū Supressū, revivificatū foret, à Nobis sub falsissima ac insubſistenti Narrativa Cæteraq; in sequelā hujusce approbationis nulliter obtenta & secuta pro reponibilibus ac insubſistentib; declarari, ipsaq; cassari, pro attentatis omnib; post cæptum Processū in Spretū Inhibitionum nostrarum, & pro Convulsa pendentia Litis puniri, in refusionem Omnium damnorum & Expenſarū Actoribus hujusmodi Processu Causatarum condemnari, prælibatoſq; Actores circa Ipsorū omnia Jura & Privilegia, tam à Serenissimis Regibus, quam Republica illis gratiosè & singulariter concessa & approbata, in toto conservari, & manu teneri. Cæteraq; ea in Causa quæ Ordo Juris & Justitiæ postulaverit, Statui, decidi, & sententari. Sitis parituri, Terminū attentaturi, & ad præmissa Judicialiter Responsuri. Ne autem sub ejusmodi continuatione Processus per intentatam Vobis Litem Suspensa ab omni executione Jura sua turbida & controversa ulterius attentate exequi, Promotionesq; quasvis Scholarium facere, Honoribus Academicis uti audeatis, Vobis sub pænis duplicatis, & aliis Nostris arbitrarijs, & nullitate Omnium per Vos gestorum, Serio Inhibemus & interdiciamus. Datum Varsaviae in Cancellaria Regni Die Quinta Mensis Septembris Annō Domini 1761. Locus Sigilli Majoris Cancellariae Regni J. S. M. R. P. S. R. M. S. Originale Simile Sigillatum editū hic Leopoli in Jurisdictione Bełzeczyzna dicta, Religiosorum Citatorum hæreditaria, Domoq; Famati Advocati ad Manus Confortis Ejusdem Die hodierna in Actu Contenta tradendo posuisse & reliquisse de quo præsens Ejusdem Ministerialis Relatio.

(L. S.)

Ex Actis Castr: Capi:  
Leopoliens: Extradit:  
Correxi GARBOWSKI.  
Lectum per Bielecki.

KSIĘGOZBIÓR  
MARCINA ZAMOYSKIEGO

4537



4550-K2